

244 1773, 2
DISSERTATIO IVRIDICA
Precium 156

DE
VERA INDOLE AGRORVM
VECTIGALIVM

SECUNDVM

IVRIS ROMANI DOCTRINAM

QVAM

PRAESIDE

VIRO CONSULTISSIMO

GEORG. SAM. MADIHN

IVRIVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO

ACADEMIAE REGIAE VIADRINAЕ

PRAECEPTORE SVO OMNI OBSERVANTIA COLENDO

DIE XXV. NOVEMB. A. MDCCCLXXIII

IN AUDITORIO IVRIDICO

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR RESPONSVRS

GEORG. FRID. CHRISTOPH.

RIEDIGER

BEROLINAS.



TYPIS FRIDERICI WILHELMI BIRNSTIELI.
REG. PRIVIL. TYPOGR. BEROL.

АСТРУЛІЧНІ
МУНОДА ЗІСІГАЛІ
МІНІСО ГІЗІ

МАНІТОСІН АСІДІВІ

ГІДІЛІ

СІЛІВІ СІЛІВІ СІЛІ
СІЛІ ВІ СІЛІ ВІ СІЛІ

СІЛІ СІЛІ СІЛІ СІЛІ СІЛІ СІЛІ

VIRO
ILLVSTRISSIMO
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
CAROL. IOSEP. MAXIMILIANO
L. B. DE. FÜRST. ET. KUPFERBERG
REGNI. BORVSSICI. OMNIVMQUE. TERRARVM
BORVSSICAR. ET. BRANDENBVRG.
CANCELLARIO. SVPREMO
IVSTITIAE. STATORI. SVMMO
ATQVE
MINISTRO. STATVS. INTIMO
MAECENATI. SVO. INDVLGENTISSIMO

H A S C E

STVDIORVM SVORVM PRIMITIAS

IN

SVMMAE, REVERENTIAE, SIGNVM

CVM, VOTO

OMNIS, GENERIS, PROSPERITATVM

SACRAS, ESSE, CVPI

MONS HERSSICER OMNIVM DAE TERRAM

MONS HERSSICER OMNIVM DAE TERRAM

CVNCTTVA RTO SPARRMO

OMNIVM MAXIME, DEVOTVS, CLIENS

GEORG. FRID. CHRISTOPH. RIEDIGER

BEROLINAS.

MECCENATI 1700. INVITISSIMO



PRO O E M I V M .

De Dissertatione conscribenda mihi meditanti et thema tam controversum, quam viribus meis quodammodo adcommodatum, eligere volenti, illud ex iure emphyteutico occurrit. Non quidem negandum et hanc materiam multis difficultatibus esse obnoxiam, multosque *Viros doctissimos* alioquin atque *consultissimos* dum illas tollere studuerunt, in mare errorum incidisse, in quo naufragium erat inevitabile. Liceat mihi ad meam sententiam

A tuendam,



tuendam, quaestione adferre an emphyteusis sit species dominii, quantis quoero somniis affirmativa est subfulta? Torquentur leges ad opinionem probandam, quae tamen merum inventum Doctorum atque Glossatorum est, et sic doctrina densissimis erroribus impletur. Vides ergo B. L. me non levidense thema elegisse mihi maximis cum Viris rem esse. Priusquam vero me ad opus ipsum accingo, Te rogatum esse volo, ut mihi ignoscas, si non omnia ex voto sint exantlata: cum etiam si desint vires, tamen sit laudanda voluntas. In quatuor Dissertatio mea abit Capita, cuius primum originem emphyteuseos continet eiusque notionem evolutum, secundum refutationi eorum, qui emphyteusi speciem dominii inesse contendunt, dicatum, tertium qualitates emphyteuseos examinat et denique quartum modos emphyteusin amittendi indicat.

CA



CAPVT I.

DE ORIGINE ATQVE NOTIONE
EMPHYTEVSEOS.

Antequam de origine emphyteuseos agam, in etymologiam vocis inquirendum esse mihi videtur. Graeca vox est ab antiquo verbo *ιμφυτίων*, id est, insero, planto vel *φυτίων* et *φυτώσιον*, id est, plantarium, oriunda. Apprime cum re emphyteuticaria haec derivatio convenit: ciusmodi enim bona plerumque sterilia atque inculta sub meliorationis lege concedebantur, aratio et plantatio vero praecipuas agriculturae constituunt partes. Triplex huius vocis est sensus. Aliquando sumitur pro re emphyteuticaria, quo in sensu significat rem immobilem in aliquem translatam sub conditione anni canonis soluendi **L.** 15. §. I. *D.* Qui *salisd.* cog. aliquando pro contractu emphyteutico **L.** 1. *Cod. de iure emphyteutico* et est contractus consensualis, quo dominus rem immobilem in eum derivat, qui, annum canonem se soluturum, promittit. Aliquando tandem sumitur pro iure emphyteutico, de quo solo, qua iure reali, mihi sermo est.

§. II.
His praemissis, iam mihi de origine emphyteuseos erit agendum. Dispiciam primo, an inter agrum vestigalem atque




emphyteuticarum differentia quaedam sit quaerenda. Sunt quidem, qui ex rubrica *Tituli ff. si ager vettigalis vel emphyteuticarius petatur*, colligunt haec verba non esse synonima et agrum vettigalem ab emphyteuticario differre tanquam genus a specie, ita ut omnem agrum emphyteuticarium vettigalem quidem, sed non omnem vettigalem, emphyteuticarium esse contendant, illamque differentiam in verbis *L. 1. pr. D. Si ager vettigi... agri civitatum, alii vettigales, alii non vettigales vocantur*“ quaerunt. **FABRI Ration.** in *Pandectas ad h. t.* Si vero *Triboniana fides habenda*, eum, quem eius aeo emphyteuticarium agrum appellabant, vettigalem olim nominaverunt. Comprobat hanc convenientiam lectio Florentina, ubi legitur: *si ager vettigalis id est emphyteuticarius petatur.* Accedit *L. 15. §. 2. D. qui satisd. cog. dici "sed et qui vettigalem agrum id est emphyteuticarium agrum possidet, possidor intelligitur."* Partibus itaque **ANTONII FABRI**, *ICTI* aliquin *subtilissimi*, state cur non possim, habes E. L. rationes.

§. III.

Habent originem agri vettigales a Romanorum bellis, Devictis enim gentibus, hic, relicta libertate, legibus suis vivendi annuum imponebant tributum, unde hi populi *tributariorum* seu *slipendiariorum* dicebantur. Interdum etiam illas gentes bonis agrisque suis privabant, colonisque ex urbe deducitis hi agri occupati inque reipublicae patrimonium redacti dividabantur, qui ex agrorum proventu aliquam reipublicae partem offerre tenebantur quae pars voce communi omnibus



bus emolumenis publico praestans *vestigal* denominabatur,
et hinc differentia inter gentes, quibus tributa imposta et qui
vestigalia soluebant. Notari hic meretur EZECHIEL SPAN-
HEMIUS in *Orbe Romano seu Exercitat. ad L. 17. D. de*
statu Rom. PETRUM BURMANNUM de vestigalibus pop. Rom.
quem in delineanda horum agrorum natura sequendum duxi,
cum in laudata Dissertatione illam diligenter invesigauerit, si
euoluisti, tria genera agrorum *vestigalium* cum enumerasse
videbis. Primum genus erat, cum populus aliquis omnia di-
vina humanaque in populi Romani ditionem daret vel cum ar-
mis subiectus agro multaretur: hi agri urgente necessitate ven-
debantur, imposito tamen *vestigali* et ea lege, vt, si postea
aerarium soluendo esset, acciperent pecuniam et agrum redde-
rent. Vid. BURMANN l.c. p. 7. Alterum genus agrorum *vesti-*
galium est, cum populus Romanus agrum ex hostibus captum,
victis ademtum militibus in emitorum stipendiorum et stre-
nue in bello navatae operae praemium dividebat, vel plebem
inopem et seditionem in eos deducebat. Deducti erant obstri-
gli *vestigali*, ita ut, pro modo iugerum, quem accipiebunt, aliquid
in aerarium *populi Romani* inferrent: aliquando sine onere
concedebarunt: agri modo excedente colonorum numerum,
illi, qui supererant, vel *vestigalibus* agris iam divisis subiicie-
bantur, vel in commune relinquebantur, *compascua* dicti, vel
aliquando veteribus possessribus reddebantur, vel etiam pu-
blice siebant et locabantur. BURMANN l.c. p. 14. Tertium
vestigalium agrorum genus erat, cum populis devictis et impe-



rio subiectis agri relinquenter sub cerro et annuo vestigali.
Et municipia habebant quosdam agros vestigales, ex quorum
reditu municipiorum onera sustinebantur, sacra perficiebantur ae-
des sacrae et communes sartae testaeque conservabantur; de qui-
bus. Vide L. 13. §. VI. D. de act. emt. in qua pro voce LE-
GATA legendum esse vestigalia recte monet Cujacius lib.
5. Observ. vlt. Privabantur his agris multae civitates cum
religio Christiana ab Imperatoribus Christianis introducere-
tur. CONSTANTINUS M. et CONSTANTIUS illos plu-
rimis civitatibus detrahebant et adimebant, restituit vero ci-
vitatibus illos IULIANUS. Vid. L. 1. Cod. Th. de locat. fundiu-
ris emphyteutici et reip. et templ.: „Possessiones publicas ci-
vitatibus iubemus restituiri, ita ut ius estimationibus locentur,
quo cunctarum possit civitatum reparatio fieri.“ Idem san-
cavit L. 2. Cod. Th. de div. praed. De his agris etiam lo-
quitur L. 1. D. si ager vestig. quae illorum conditionem sic
describit: vestigales vocantur, qui in perpetuum locantur: id
est hoc lege ut tamdiu pro ipsis vestigal pendatur, quamdiu
neque ipsis qui conduxerint neque his qui in eorum locum
successerint auferre eos liceat. Haec diversa vestigalia gen-
era sub imperatoribus subversa et immutata sunt, quas mu-
tationes accurate recenset BURMANNUS in cit. differt. Cap. IV.

§. IV.


Iam quaeritur quid sit *ius emphyteuticum*? No-
tio eius mihi sic erit evoluenda, ut omnes species, quae *ius em-*
phyteu-



phyteuticum non continent, excludantur. Ex legum tenore ad-
paret, illud nihil aliud esse, nisi ius omnem utilitatem ex re aliena
immobili in perpetuum percipiendi sub conditione annui canonis
praefundi. Opere huius definitionis, ius emphyteuticum facil-
lime non ab usufructu solum, sed et a praediis Germanorum
censiticis, emtione venditione, locatione conductione et feu-
do distinguere possumus. In iure emphyteutico differentiam
ab usufructu si inquirimus, triplicem eam esse adparet. Prima
in eo quaerenda est, quod ad emphyteuticariam rem requiratur
*quod sit *immobilis res*, ex qua utilitatem percipiendi ius habeo,*
*in usufructu et *res mobilis* esse possit per L. 7. pr. D. de usu-*
fructu et quem: quis utat. fruat. Secunda differentia in co-
*latet, quod in iure emphyteutico ius *omnem* utilitatem ex re*
aliena percipiendi habeam, in usufructu vero perceptio utili-
tatis sit restricta. Tertiam denique quod attinet differentiam, in
eo consistit, quod hoc ius in perpetuum competat per L. 1. D. si
ager vestig. id est emphyt. pet. ususfructus vero sit temporalis,
nec in successores devolvi possit, sed morte usufructuarii finiatur
per L. 3. §. III. D. Quib. mod. ususfruct. vel usus amitt.

Absolutis iam differentiis, ius emphyteuticum inter et
usumfructum, iam fundamentum distinctionis mihi erit in-
dicandum praedia Germanorum censitica inter et emphy-
teus. Sequenti distinctione id fieri posse credo. Vel mihi
ius competit ex re aliena immobili, omnem utilitatem in per-

petuum



petuum percipiendi sub conditione *canonis* soluendi, vel sub conditione census soluendi. In priori relatione est *emphyteusis*: ex posteriori *praedia Germanorum censitica* oriuntur ex conditione servili rusticorum in Germania orta. *Conf. i. h. BOEHMERI Diff. de imperfecta libert. rusticorum in Germania.*

§. VI.

Ef ab emtione venditione et locatione conductione differt emphyteusis: et quidem a priori in eo, quod 1. in emtione venditione *premium* constituantur *dignitati rei respondens*, quod semel et ab initio soluitur, in emphyteusi vero annum est et quotannis penditur, ob quod recte scribit *Baldus ad Tit. C. de iure emphyt.* In emphyteusi dominum obligari ad patientiam successivam, sic ut cum venditur ususfructus, in venditione vera momentaneam traditionem totum contractum absolvere, et liberare venditorem, nisi res postea evincatur 2. ex venditione omne ius venditoris transire ad emtorem, nisi quid nominatim exceperit, cum emtio venditio sit contractus dominii translativus, is vero qui emphyteusin concedit, eius dominium retineat: quod infra pluribus demonstrabitur. 3. quod, tametsi premium non solvatur, res vendita ob id non repetatur, sed contractus saluus maneat per L. 9. et 12. *Cod. de contrah. emt.* cum e contrario emphyteusis non soluto canone redeat ad eam, qui concessit 4. quod in emtorem omne periculum rei emtiae transeat, atque etiam si ea tota pereat, nihilominus premium soluat §. 3.

Institut.



Instit. de emt. et vend. In emphyteusi vero totius rei interitus spectat ad concedentem, ita scilicet, ne in posterum pensionem exigit per *L. 1. Cod. de iure emphyt.* A locatione conductione vero emphyteusis differt. 1. quod in locatione conductione pensio correspondeat fructibus, non aequa in emphyteusi. 2. Conduktor culpa etiam si sua expulsus, meliorationes detrahatur p. *L. 19. §. IV. D. locati*, emphyteutae vero non licet *L. 2. Cod. de iure emphyt.* 3. Conduktor consequatur remissionem ob sterilitatem, quantumvis ad longum tempus duret conductio, emphyteuta e contrario omne damnum ex quo non ipsa rei penitus laedatur substantia suis partibus adscribere debeat ex sanctione *L. 1. Cod. de iure emphyt.* 4. quod conductor expelli possit ob simplicem cessationem unius anni et propter necessitatem habitandi, domino, ex recenti causa, supervenientem *L. 3. C. de Locato et ibi GODOFREDVS in notis*: emphyteuta vero domini necessitate non cogitur cedere, nec potest expelli ob simplicem cessationem unius anni, sed tunc demum, si mora triennii intercesserit per *L. 2. C. de iure emphyt.* 5. tandem, quod iuri colonario praescribi non possit per *L. 3. C. de praescript.* 30. vel 40. annor. bene tamen ius emphyteumaticum praescriptione longi temporis adquiratur arg. *L. ult. C. de praescr. long. temp.*



§. VII.

Denique mihi erit ostendendum quatenus feudum ab iure emphyteutico sit diversum. Duplex potissimum differentia notari meretur. Prima in eo sane consistit, quod feudum nullam pensionem annuam habeat, nec ad quemlibet haeredem alioquin inhabilem transeat, in iure emphyteutico autem contrarium obtineat, et secunda, quod in feudo sit iuramentum et fidelitatis obligatio, quae non est in emphyteusi, ubi pensio annui canonis sufficit.

C A P V T. II.

DE DOMINIO UTILI IN IURE EMPHYTEUTICO EXVLANTE.

§. I.

Ante omnia iam post evolutam emphyteuseos notionem vulgaris sententia, emphyteusin speciem quandam dominii esse, et quidem dominium utile continere, mihi erit reiicienda, cum distinctio dominii in utile et directum non toto solum iure Romano ignoretur et a doctoribus tantum excoigitata sed etiam essentiae dominii sit adversa. Distinctio duplicitis in rem actionis magnam hanc *interpretibus* errandi occasionem praebuit, existimantibus sicuti *actio in rem* alia *directa* est, alia *utiles*, ita et dominium duplex esse *directum* unum, *utile* alterum,

alterum, etiam si nullum locum iuris Romani proferre possint, quo haec distinctio probetur. Ex tribus potissimum fundamētis sententiam commentitiam hanc doctorum me refutare posse spero: nempe 1. ex ipsis legibus Romanis, 2. ex historia emphyteusium et 3. ex impossibilitate distinctionis in plenum atque minus plenum et posterioris in directum atque utile.

§. II.

Primum fundamētum quod attinet, ex ipsis legibus desumptum, evincitur ex L. I. §. I. D. Si ager vestig. id est emphyteut. pet. quam si evolvimus, expressis verbis in hac lege dicitur. „Qui in perpetuum fundum fruendum conduxerunt a municipibus, quamvis non efficiantur domini, placuit tamen eis competere in rem actionem adversus quemvis possessorum.“ Opponi quidem posset, verba: *quamvis non efficiantur domini*, sic esse accipienda ut non proprie quidem dominiant, dominium vero utile emphyteutae non esse denegandum, cum *actio in rem adversus quemvis possessorem non solum, sed et adversus ipsos municipes ei* competit. Ergo si ei, qui vestigalem fundum conduxit, actio in rem competit non tantum adversus quemvis possessorem sed et adversus ipsos municipes, fatendum videri, conductorem ex hoc genere contractus fieri *dominum*; sed respondendum, actionem hanc in rem adversus ipsos municipes summa ex aequitate atque utilitate proposuisse *praetorem*; ut facilius municipes inveni-



rent conductorem, qui fundos civitatis vestigales veller in perpetuum conducere, sciens futurum ut eo nomine actionem in rem et exceptionem haberet etiam contra dominum, quamvis tamea non efficiatur ex eo dominus: quod sequenti modo evinco. Actio in rem ut supra iam monui §. *praec.* duplex est, *directa* una, altera *utilis*. Directa ei tantum datur, qui est dominus vel *iure gentium*, vel *iure civili* L. 23. *D. de rei vindicat.* Nam cum vindicatio, sic ut et ceterae actiones omnes, detur a praetore, praetor autem duplē domini differentiam agnoscet, unam *bonitarii*, aliam *quiritarii*, quam et tota vetus iurisprudentia agnoscit, consequens est, ut ex hac quoque dupli causa det vindicationem, domino scil. *Quiritario et Bonitario:* qua *Bonitarii* appellatione continetur quisquis dominus est, *sive iure dumtaxat gentium, sive ex auctoritate praetoris*, qualis est bonorum possessor L. 1. *D. de honor. poss. et utilis vindicatio* etiam datur ei, qui nullo iure dominus est i. e. neque gentium, neque civili, ne sit in potestate iniusti cuiusque invasoris occupata possessione, eo praetextu, quod non sint domini, ius eorum laedere, et plus cautionis in rem sit quam in personam. Si itaque emphyteuta dominus esset, vel dominus *Quiritarius* vel *Bonitarius* ut sit necesse foret, non enim agnoscunt *iure consulti* alium dominum. Iam eum Quiritarium non esse per se patet, ergo Bonitarius esse deberet, quod tamen aequi falso et vel ex eo intelligi potest, quod domini bonitarii, ut supra monui, haberent actionem in rem *directam* L. 9. *C. de rei vind.*

vind. iunct. L. 75. D. de iur. dot. Accedit, quod in L. 2. et 3. Cod. de iure emphyt. Iustinianus semper dominium in re emphyteuticaria iuri emphyteutico opposuerit, quod fieri non potuisset, si emphyteusi dominii species inesset. Denique dominium fundorum vestigialium in emphytentam non transferri vel exinde colligo, quod usucapi illi non possint, scilicet adversus civitatem, cuius sunt per L. 12. §. In vettigal. D. de Publ. in rem att. Nam cum usucapio nihil aliud sit quam adiectio et adeptio dominii quis obsecro effectus illius propositionis esset: *Fundum vestigalem adversus civitatem et municipes usucapi non posse*, si non civitas et municipes domini manerent.

§. III.

Secundum meum fundamentum sini meo inferiens presumptum est ex *historia emphyteusum*. Constat enim ex L. 1. C. de Iure emphyt. et §. III. *Instit. de locat. cond.* tempore sectarum apud Romanos inter duas Ictorum sectas disputatum fuisse utrum emphyteusis ad locationem *conductio-*
nem, an vero ad emptionem venditionem referre vellent, et denique, postquam sectae studium Romae efficeruerat, a *Ictis* exercitandis receptum fuisse, emphyteusis esse speciem quandam locationis *conductio-*nis, et quidem, locationem perpetuam, donec tandem per L. 1. C. de iure emphyt. emphyteusis ex constitutione imperatoris Zenonis ius aliquod tertium, atque peculiarem contractum tam ab emptione venditione, quam



locatione conductione diversum constituere cooperit. Ex quibus recte colligi posse infero, emphyteus in dominium utile non continere, nam si contineret, cur obsecro non ad emtionem venditionem retulissent, cum emtio venditio contractus sit dominii translativus non aequae locatio conductio, nisi convicti fuissent acutissimi illi ICri, emphyteuta nullum plane dominium esse tribuendum. Pertinent huc etiam verba ΤΗΕΟΡΗΙΛ in §. 40. *Inst. d. R. D.* οὐ τὸν επενδύειν καὶ τελευταῖς ἔχοντες πάλαι, κατὰ συγχώρησιν δόμας, ἢ βασιλίων, εκ ἣντος δεσπόταις: οὐ γαρ δεσπότια ἀνταντὴν ἡ παρα τὸ δόμα, ἡ παρα τὸ βασίλει, ἀλλ' εἰχον τὸν ἐπ αὐτῶν κέρδον καὶ ἐπικαρπίαν καὶ πλειστά τε κατοχήν, τοσε δυνα ταὶ εἰ τοῖς μεταφέρειν καὶ πλειόν μετο παραπομπήν. Τόν γάρ Ιταλικῶν εἴρητος διάνοιας οἱ δεσπόταις τὸν δεσπότιαν εἶχον. Quae verba sequentem in modum vertit ICetus Belgii celeberrimus CORN. VAN BYNKERSHOEK in Opusculis p. 131. Qui olim ex concessione populi vel principis stipendiaria vel tributaria habebant praedia domini non erant: cum dominium illorum erat aut apud populum, aut apud principem, sed usum et fructum eorum habeant et plenissimam possessionem, ita ut et transferre possent in alios et ad haeredes transmittere. Italicorum autem fundorum domumque domini dominium habebant.

§. IV.

Tertium denique fundamentum est, quod haec distinctio dominii in plenum atque minus plenum et posterioris in utile atque directum inanis sit, cum essentiae dominii repugnet. Quo iusto ordine procedamus 1) dominii definitio

definitio erit formanda eiusque essentia constituenda, et deinde 2) eius applicatio ad hanc distinctionem facienda. Dominum ius involuere et quidem ius in re per se patet, sed in quanam re iam videamus. Ponamus rem, quae tanquam obiectum iuris homini competenter consideranda, vel est in proprietate alicuius vel minus, priori in casu est *res propria*, posteriori in casu, *res nullius* est. Res propriae itaque sunt quae in proprietate alicuius sunt. Proprietas vero nihil aliud est quam dominium L. 1. §. I. D. ad SCt. Silanian. „*Domini appellatione continetur qui habet proprietatem, et si usus fru-etus alienus sit et L. 13. pr. D. de adquir. rer. dom. ubi dicitur: Si procurator rem mihi emerit ex mandato meo, eique sit tradita meo nomine, dominium mihi id est proprietas adqui-ritur etiam ignorantie.* Si itaque haec duo synonima sibi in vicem substituimus, res proprias esse, quae in alicuius dominio sunt, facili negotio perspicitur. Hae res propriae iam vel in mea sunt proprietate, vel in proprietate alterius, priori in casu sunt *res propriae in specie tales*, posteriori vero *alienae*. Proinde facile est ad intelligendum, dominium esse ius in re propria in specie tali; cum vero res propriae dicantur, quae in bonis seu patrimonio alicuius sunt, patrimonium vero iura contineat, quae alicui cum exclusione reliquorum omnium com-petunt, consequitur ut ius in re propria ita comparatum esse debeat, ut omnes alias de eadem in perpetuum excludere possumus: iam dominium est ius in re propria, ergo dominium, si anterior eius definitio spectatur, non est nisi *ius proprium a in-*

re



re alterius privati, independens de re disponendi cum exclusione aliorum perpetua.

§. V.

Iam quae essentiam dominii constituant videamus. Dominium ius proprium esse a iure alterius privati independens de re disponendi cum exclusione aliorum perpetua *antec.* §. ostendimus. Duo constitutiva dominii notionem involvere apertum est, quorum primum est ius de re disponendi cum exclusione aliorum perpetua, alterum vero ius proprium a iure alterius privati independens. Ubiunque itaque haec duo constitutiva non inveniuntur, ibi nec dominium esse potest. Iam in sic dicto dominio minus pleno, seu directo atque utili, haec essentiam dominii constitutiva non reperiri, hasque distinctiones ideo essentiae dominii prorsus repugnare, mihi erit ostendendum.


§. VI.

Antequam promissis meis item, quid nostris doctoribus sit dominium plenum atque minus plenum posteriorisque sub-species, directum, puta, dominium, atque utile, videamus. Sic autem distinguunt: vel cuidam facultas est de re disponendi utilitatemque omnem percipiendi, vel non, priorem, dominium plenum, posteriorem vero minus plenum habere contendunt. Iam si quis non habet dominium plenum, illum qui habet particulam iuris de re disponendi eum iure omnem utilitatem

litatem percipiendi dominum utilem, eum vero, qui reliquam
 partem iuris disponendi cum directione superiori quadam
 detinet, dominum directum vocant. Distinctionem hanc
 plane inanem esse, iam vel exinde evinco, quod genus sit non
 ens, cum omne dominium semper plenum esse debeat. 1) enim
 is, cui dominium minus plenum adscribitur, non habet ius
 de re disponendi cum exclusione aliorum perpetua, neque di-
 rectus, neque utilis, cum ius disponendi sit divisum, adeoque
 non pro libero arbitrio disponere possit, et ius utendi fruendi
 non ius dominii cuiusdam involvere queat, quod verba **L. 1.**
§. I. D. ad SCt. Silanianum expresse indicant: *domini ad-
 pellatione continetur, qui habet proprietatem, et si ususfructus
 alienus sit, 2) nec dominus minus plenus ius proprium a iu-
 re alterius privati independens habet, cum ius eius ad solum
 rei usum restrictum sit, atque directionem superioris aliquam
 agnoscere teneatur, adeoque propter ipsum ius domino compe-
 tens certos limites in suis de re aliena dispositionibus servare te-
 neatur.* Lubentissime itaque hac distinctione supersedemus,
 cum non solum toto iure Romano ignoretur, sed etiam essentiae
 dominii sit adversa. Finem iam huic capiti impono, cum haec
 allata ad refutandam sententiam doctorum sufficere mihi vi-
 deantur.

C

CA



C A P V T III.

D E Q V A L I T A B V S I V R I S
E M P H Y T E V T I C I .

§. I.


Hicce absolutis, quaeritur iam quale ius tandem emphyteutae competat cum ius dominii illi sit denegatum, quaeque qualitates sint iuris emphyteutici. Hac in quaestione decideanda duplificem nobis relationem distinguendam esse patet: utrum nempe ius emphyteutae intuitu meliorationum, si quae adsunt, spectetur, an intuitu iuris, quod emphyteutae in ipso fundo emphyteutico competit. Aliud enim ius emphyteutae tribendum ratione meliorationum suarum, aliud ratione fundi ipsius in emphyteusis concessi. In duabus hisce relationibus itaque, separatis, quid secundum legum tenorem sit statuendum, stabiliamus.

§. II.

Primo itaque considerandum venit ius emphyteutae ratione meliorationum. Meliorationes graeco vocabulo *ιπποτήματα*, vel ut alii legunt *ιπποτίματα* dicuntur et consistunt in accessionibus, quas suo labore suisque impensis emphyteuta producit: quorsum tamen non referenda accessiones, quas non data opera fecit v. g. si thesaurum invenit in fundo, cuius diuidium tamen iure inventionis ad eum spectat. Intuitu ha-

rum


rumemphyreuta dominus utique dicendus, et quidem unicus.
 Omnes enim actus circa eas suscipere potest, nullumque
 aliud domino plus competit, quam 1) ius protimis̄os in ven-
 ditione earum, modo dominus se intra spatum daorum men-
 sium declaret, se quantitatem, quam emphiteuta re vera ab alio
 recipere potest, praestare velle. Sin autem hoc spatum fue-
 rit emensum et dominus se declarare intra illud noluerit, licen-
 tia emphiteutae datur meliorationes suas vendere **L. 3.** **C. de**
iure emphyt. 2) ius ex priori fluens, quod illas meliorationes
 absque consensu domini emphiteuta alienare nequeat, partim
 quod nesciat, utrum dominus quantitatem ab alio oblata p̄a-
 stare malit, partim quod meliorationes istae coniunctae sint
 cum ipso fundo emphyteutico, in quo emphiteutae ius ipsum
 emphyteuticum competit, quod absque domini consensu em-
 phiteuta transferre nequit, cum novum emphyteutam ei invito
 obtrudere nequeat. Omnia haec vero semper cum hac re-
 strictione sunt accipienda, si intra spatum duorum mensium
 se declaraverit, si minus obtinet sanctio **IUSTINIANI in cit.**
I. 3. necessitatem habere dominos accipere emphyteutam, si
 ius emphyteuticum ad personas non prohibitas, sed concessas,
 et ad solvendum canones, idoneas, transtulerit. Sin autem no-
 dum emphyteutam, vel emtorem meliorationis, suscipere do-
 minus minime maluerit, licere emphiteutae etiam, *non consen-*
tientibus dominis, ad alios suum ius, vel emphyteumata trans-
 ferre, oblata tamen domino quinquagesima parte pretii, quod
 ab emtore accepit, quac ei, ut quidem **HVG. DONELLO in**



commentario de iure ciuili et pluribus aliis, sed minus recte videatur, propter inhumanum dissensum, vix adimi potest, cum de hac poena fileant leges, quae nihil agunt, quam ut observato praescripto modo legitime translatum confirment. Quæstionem an haec quinquagesima pars pretii, quam iuniores ICti, vocabula barbaris seculis nato, *laudemium* adpellare solent, a vetere, an vero a nouo emphyteuta sit praestanda? quod attinet, facilime eam decidi posse credo, quod nempe a vetere emphyteuta sit exigenda, cum non in recognitionem dominii, sed pro concessione in alienationem, detur.

§. III.

Alteram relationem in determinandis iuris emphyteutici qualitatibus quod spectat, puto, si qualitates iuris emphyteutici considerantur, intuitu iuris, quod emphyteutae competit in ipso fundo emphyteutico, sciendum, nullum amplius ius ipsi competere, quam solum ius emphyteuticum i. e. ius in re aliena, non vero ius in re propria, seu proprietatem, quac solo domino competit, ut supra pluribus demonstravimus. Ius ipsum vero emphyteuticum comperens non purum est sed conditionatum, sub conditione nempe anni canonis solvendi, adeo ut si non solvatur ius hocce emphyteuticum ipso iure resolvatur. *L. 2. D. si ager vectig. id est emphyt. petat. Ita tamen si vectigal soluant.* Cum vero imperator noster hanc iuris emphyteutici resolutiouem restring-



strinxerit in favorem emphyteutae, 1) quid iure ante - iustini-
naneo et deinde 2) quid iure Iustinianeo obtinuerit, perpen-
damus.

§. IV.

Consensu emphyteusin, tam iure ante - Iustinianeo
quam Iustinianeo, erectam fuisse, patet, cum priori iure ad
locationem conductionem fuerit relata, locatio conductione vero
sit contractus consensualis, qui caussam obligationis sue
plenaे petit a solo consensu interposito. Cum itaque solus
consensus ad emphyteusin constituendam sufficiat, videndum,
utrum conventione adiecta determinatum fuerit intra quod-
nam tempus canon sub iactura emphyteuseos ab emphyteuta
esset soluendus nec ne. Priori casu conventioni standum est,
cum cuilibet liberum sit, alias praestationes contractibus vel
adficere vel detrahere, modo non substantialia contractuum,
i. e. quae posito contractu necessario sunt ponenda, sed natu-
ralia, vel accidentalia eorum concernant. Si vero nullum
tempus determinatum fuerat, ius habebat dominus emphy-
teutam expellendi ex praedio emphyteutico, si praeterlapsò uno
anno canon ab emphyteutico non erat solutus.

§. V.

Hunc vero rigorem in favorem emphyteutae restrin-
xit *sacratissimus noster imperator Iustinianus* per *L. 2. Cod.*
de Iure emphyteut. et *Nov. 7.* si nempe per pacta contra-



Et si adiecta nihil determinatum sit, alias obtinet sanctio **L. 2.**
cit. ubi dicitur. *In emphyteuticariis contractibus sancimus*
siquidem aliquae partiones in emphyteuticis instrumentis fue-
rint conscriptae eisdem et in omnibus aliis capitulis servari,
conventionique flandum est. Iam quale tempus ad soluendum
canonem imperator determinaverit videamus, quo praeter-
lapso, si canon non est solutus, nec apocphae tributorum soluto-
rum domino exhibite, ius emphyteuticum resoluatur. Ad
hocce determinandum, cum longius tempus in secularibus
quam ecclesiasticis emphyteusibus concessum, hae emphyteu-
sium species necessario sunt distinguedae.

§. VI.

Emphyteusis est vel secularis vel ecclesiastica pro di-
versitate obiecti, utrum nempe in re seculari an vero ecclesi-
astica ius emphyteuticum sit constitutum. Usus distin-
ctionis quaerendus est 1. in modo amittendi ob non solutum
canonem de quo infra. 2. in constitutione, difficilior enim
constituitur in re ecclesiastica quam seculari **L. 14. et 17. C.**
de SS. eccl. 3. in forma, cum in ecclesiasticis emphyteusibus
probationis causa scriptura requiratur si ad haeredes sint trans-
futurae *Nov. 7.* in seculari vero non exigatur, cum solo con-
sensu hic contractus perficiatur. Nec obstant verba **L. 1. C.**
de iure emphyt. „scriptura interveniente“ verba enim haec,
id, quod plerumque fit, non autem essentiale requisitum ex-
primunt. **LUDERVIS MENCKENIVS** in *gymnasio polemico*
Disp.

Disp. III. num. V. Si vero quid novi et consuetudinibus
emphyteuticariis non receptum pacisci velint, tunc et **ZENO**
et **IVSTINIANVS**, volunt, ut paſta in scripturam redigantur,
alias illorum nulla ratio habetur: quod verba **L. 3. C. de**
iure emphyt. innuunt, in qua **IVSTINIANVS**, deperdito em-
phyteusium instrumento, controversias ex communibus et re-
cepitis principiis decidi vult. **4.** in duratione, cum emphyteu-
sis ecclesiastica ultra nepotes non extendatur **Nov. 7. Nov.**
120. secularis vero tamdiu duret, quamdiu veſtigia pendatur
per **L. 1. D. si ager veſtig. id est emphyt. pet.** Ex adductis
itaque cognoscimus, maiori in legibus favore gaudere emphy-
teutes ecclesiasticas, quam **seculares**,

§. VII.

His praemissis, tempus facillime determinare possu-
mus, quod constitutum est, antequam, canone non soluto, nec
epochis tributorum solutorum domino exhibitis, ius emphy-
teuticum resoluatur. Secularis nempe emphyteusis ex san-
ctione **L. 2. C. de iure emphyteut.** si per totum triennium ne-
que pecunias soluerit, neque epochas tributorum domino redi-
diderit, et ecclesiastica, si hoc intra biennii spatium facere
omiserit, *Authent. qui res C. de SS. eccles.* **Nov. 7. Nov.**
120. resolvitur, et quidem ipso iure. Nec dici potest, emphy-
teutam hac ratione ad delinquendum invitari, cum possit alia
via et per competentem actionem ad solutionem compelli,
cum neminem oporteat conventionem vel admonitionem ex-
specta-



spectare, sed ultro sese offerre et debitum spontanea voluntate persolvere *L. 2. C. cit.* Dies enim interpellat pro homine. Ne vero domini hoc iure abutantur, recusantes accipere solutionem, quae ipsis intra triennium offertur, emphyteutae concessit *IVSTINIANVS* licentiam, attestatione praemissa ei pecunias offerre hisque deinde obsignatis et depositis secundum legem periculum deiectionis minime timere. Non vero emphyteutae prodest, si partem canonis solverit, obligatio enim eius est individua, cui non satisfacit, qui partem soluit.

C A P V T . I V .

DE MODIS AMITTENDI IUS EMPHY- TEVTICVM.

§. I.

Modos amittendi ius emphyteuticum quod attinet, duplum adesse caussam, ob quam emphyteuta iure suo privari potest, patet. Altera, si canonom non soluerit, altera, si absque consensu et prævia denunciatione domino facta in alium, quam haeredem ius suum emphyteuticum transferre voluerit. De quibus caussis, antequam finem huic dissertationi imponamus, adhuc agendum erit.

§. II.

§. II.

Priorem caussam, propter quam iure suo privari potest emphyteuta in eo possumus si canonem debito tempore non soluerit, dicitur enim in *L. 2. C. de iure emphyteut.* volenti domino licere eum a praediis emphyteuticariis repellere, nulla ei in posterum allegatione meliorationum, quas emphyteuta, culpa sua expulsus, tollere nequit, nisi salva fundi substantia tolli possint, nam cum fundo emphyteutico sunt coniunctae. Non autem sufficit quod canonem soluerit, sed etiam epochas publicarum functionum domino exhibere tenetur. Sunt autem publicae functiones, publicae pensitationes, id est ea, quae sifco aut reipublicae quotannis praestantur, quorum pensitationi praedium emphyteuticum est obnoxium, qualia sunt vestigalia, tributa, publicae viae refectiones, collationes in refectionem aggerum, et similia, quae, qui praefstar, dicitur in praestationibus fungi, unde praestationes ipsae dictae fuerunt functiones *L. penult. et ult. C. de epochis publ.* Si non illas exhibuerit ac domino per ostensionem epocharum probationem impletæ solutionis fecerit, iure suo aequo cadit, cum ad eas exhibendas sit obligatus per *L. 2. C. de iur. emphyt.* ne dominus vel sequens possessor, reversa, vele extincta emphyteusi, ratione praeteriti oneris possent inquietari. Et tam late patet eiendi emphyteutam hanc ob caussam facultas ex IUSTINIANI Constitutione inducta, ut exerceri possit etiam adversus ecclesiam, quae rem suscepit in emphyteusin,

D

per



per auth. qui res. C. Si vero obligationibus suis satisfecerit et non solum canonem soluerit, sed etiam publicarum functionum apochas domino reddiderit, iure suo neutiquam privari potest emphyteuta.

§. III.

Altera cauſſa a IVSTINIANO originem habens, quae efficit, ut iure suo emphyteuta privetur, in eo conſtituit, si fundum emphyteuticum in aliud quam ſuum haeredem inter vi-
vos tranſtulerit, per L. 3. C. de Iure emphyt. cum obliga-
tus fit ad denunciandum domino, si meliorationes ſuas vende-
re et ius ſnum in fundo, cum quo ſunt coniunctae, traſferre
velit, quo hic ſe intra ſpatium duorum mensium declareret, an
iure protimis eos ipſi competentē uti, an vero in alienationem
in extraneum conſentire velit, ne ipſi invito emphyteuta ini-
doneus ad canonem ſoluendum, publicasque functiones pree-
ſtandas, obtrudatur. Sed ſemper haec cum illa reſtriccione
ſunt intelligenda, ſi non emphyteuticum instrumentum ſu-
per hoc caſu aliquas paſtiones habear, quae utique obſervanda.
Si vero minus, vel instrumentum emphyteuticum deperdi-
tum fit, eiusque tenor per teſtes probari nequeat, ſanctio cit.
L. 3. obtinet, ſive totum fundum, ſive partem eius, alienave-
rit, ſive donaverit, ſive permutteraverit. Non quidem me fugit,
dari ICtos, qui ſub verbo alienationis ſolam venditionem, non
vero ceteras ſpecies alienationis intelligendas eſſe con-
tentunt; ut titius in iure privatō lib. II. cap. XI. pag. 373. ſed
quo

quomodo hanc sententiam cum **L.** 3. **C.** concilient, ego saltem non video: non enim de sola venditione, sed de quocunque modo transferendi loquitur **IUSTINIANVS**; donaturus siue permutaturus emphyteusin domino suam intentionem ut revelet necesse est. Generalia sunt eius verba in citata **L.** 3. „*minime licere emphyteutae sine consensu domini meliorationes suas alis vendere, vel ius emphyteuticarum in alios transferre.*“ Omnia ea itaque, quae in venditione emphyteuseos observanda sunt, ad reliquas alienationis species applicari debere in aprico est. Aliud iure ante-Justineaneo obtinebat, secundum quod alienatio quidem ipso iure nulla erat, emphyteusis vero apud emphyteutam alienantem manebat.

§. IV.

Et hae allatae duae caussae unicae sunt, ob quas emphyteuta iure suo privari potest. Transeo enim mortem emphyteutae atque totalem rei emphyteuticas interitum, cum haec ad modum finiendi ius emphyteuticum, non vero ad modos illud amittendi, sint referenda. Falsa itaque est sententia doctorum existimantium, ius emphyteuticum propter deteriorationem fundi amitti, cum haec nullibi inter modos amittendi sit relata, ideoque emphyteutae propter illam diectionis periculum non immineat: quamvis tamen non sit negandum, eum ad damnum deterioratione datum resarcendum obligatum esse, cum, sub lege meliorationis, fundus ipsi a domino in emphyteusin concessus, et ex sanctione **L.** 1. **C. de iure**

D 2
emphyt.



emphyt. damnum, quod casu fortuito contigit, ex quo non ipsa penitus fundi emphyteuticarii laedatur substantia, suis partibus adscribere debeat emphyteuta, multo magis damnum culpa sua datum domino, ut resarciat, cum tenere, apertum est. Liceat mihi adhuc me in quaestione immittere, quae multum controversa est et lCtos magnopere agitavit, an domino liceat emphyteutam ob caussas antecedentibus §. allatas propria auctoritate eiicere, nec ne, sed per indicem id fieri debeat. Videri quidem potest affirmativam hic obtinere, cum in *L. 2. C. de iur. emphyt.* dicatur: *volenti domino licere, eum a praediis emphyteuticis repellere et deinceps: sed omni modo eo, si dominus voluerit, repelendo.* Cum vero vix unquam sit, quin maneat quaestio super extincione emphyteuseos, mallem adsentire sententiae *PAVLI lib. 13. ad Plautium l. 176. de reg. iur.* „*Quod non singulis sit concedendum, quod per magistratum fieri possit publice, ne occasio sit maioris tumultus faciendi.* Subsistit iam pro ratione instituti velaque contraho, ne patientia Tua B. L. abuti videar. Errores forte admissos benevole excuses rogo, cum errare humanum esse soleat, adeo ut divinitatis sit in nullo penitus errare.

L. 2. §. 14. C. de vet. iur. encl.



N O B I L I S S I M O
P R A E S T A N T I S S I M O Q U E H V I S S E C I M I N I S A C A D.

A V C T O R I
P R A E S E S .

*Reddo Tibi, praestantissime RIEDIGERE hanc Tu-
am Dissertationem a Te mihi oblatam, proprio Tuo
arbitrio, quod ad materiam proponendam discutien-
damque attinet, inter plures alias Tibi a me com-
mendatas, adoptatam, et Tuo opere eoque solo con-
scriptam elaboratamque, sua plane integritate, con-
stantem, non interpolatam et ne uno quidem verbo
a me, aut addito, aut correcto, aut lituris deleto:
nihilque mihi praeter eximium honorem vindico in
me ex eo redundaturum, quod conflictus Tui litte-
rarii moderatoris spartam, ut Tua erga me humani-
tas est, in me detuleris. Ego autem me eo libentius Tibi
sisto comitem doctrinæque Tuae testem, quo magis
quoque saepius singulare Tuum in disputando acu-
men mihi probasti, totque scientiae Tuae solide cu-
rateque quæstæ documenta mihi quotidie fere edi-
disti, adeo ut viuidam ingenii Tui indolem vehemen-*

D 3

ter



ter admiratus fuerim, mentemque philosophicam a natura Tibi, p^raef multis sane aliis, abundanter ingenitam, a Te autem excellenti studio excultam explicatamque. Perge, quae^so, amantissime RIEDIGERE hac, quam feliciter es ingressus, via, eaque ipsa semper ratione in iuris scientiae doctrinis ad ipsum reipublicae usum transferendis nunc utere, immo, vt omnia harum virtutum decora in uno veluti argumento compressa Tibi commendarem, sequere patrem Tuum perillustrem, in his virtutibus certe principem, et, credas mihi, exemplum profecto habebis, quo illustrius Tibi inuenire nunquam licet, exemplum viri summae prudentiae doctrinaeque ipsis rebus agendis adtemperatae, summorumque erga rem publicam meritorum. Quidquid, praestantissime RIEDIGERE, Tibi contiget iucundum, desideratum, auspicatumque, id omne Tibi contigisse gauietur me semper fore equidem optime scio, Te tantum maximopere rogaturus, vt Tua memoria et benivolentia ne plane indignum me iudices.

Scrib, Traiecti ad Viadrum d. XV. Nov.

MDCCLXXIII.

C A N D I D A T O
 CLARISSIMO ET DOCTISSIMO
 DISSERTATIONIS
 AVCTORI
 S A L . P L V R . D I C .
 IOANNES GOTTLIEB TOELLNER.

Quod in Te, hospitii conuictusque non tantum, sed studiorum communium etiam vinculo mecum iuncto, amavi ac deamaui, ingenium liberale, ad literas natum formatumque, non ad vulgarem nitens, sed solidam et consummatam eruditioinem, eius rei, quod nunc dissertatione a Te conscripta eiusque defensione publice fidem facturus es, amicissime laetor. Tam gloria et insolita, cum respondentis, tum opponentis partes, in auditorio meo, dexteritate sustinuisti, feli- cissimaeque, qua philosophiam cum iurium studiis copulasti, operae tirocinia posuisti, ut acclamations publicas praesagiam. Gratulor Tibi tam honestum ex Masis nostris discessum: gratulor stadium academicum cum singulari bonorum omnium de Te exper- elatione



etatione decursum: gratulor^r PATRI PERILLV-
STRI, gratulor^r Tibi fructus industriae et eruditio-
nis, qui Te manent, amplissimos. Fruere iisdem
sub auspiciis tanti Parentis diu feliciter! cuius exem-
plum intueri, eiusque splendidissimis in rem publi-
cam meritis, ad, si non paria, similia tamen, pro-
uocari et excitari Tibi datum est. Vale, meique
et amicitiae nostrae memor viue. Scripsi in regia
Viadrina prid. non. Nou. MDCCCLXXIII.





V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQVE ORNATISSIMO
DISSERTATIONIS AVCTORI

S. P. D.

LUDOVICVS GODOFREDVS
MADIHN.

I. P. P. EXTRA ORD.

*I*nter ea, quae mihi felici sidere in hac alma Viadrina contigerunt, illud, certe refero, quod non solum cupidam legum iuuentutem diligentissimosque iurisprudentiae cultores inuenerim, sed etiam quod amicos nactus sum, ex quorum consuetudine, quotidiani fere consultationibus, quas, ut fieri solet, instituere solemus, tum eorum ingenia, tum profectus, aut iam adquisitos, aut in dies crescentes aequaliter potuerim. Horum etiam numero Tu, Vir ornatissime fuijli, quo statim ac hoc venerim, meam qualenique amicitiam coniunctionemque quaerens, quoties de arte nostra locuti sumus, semper mihi probasti Tuum erga solidorem iurisprudentiam amorem, Tuum liberum, ab omni partium studio, alienum ingenium, politissimumque Tuum iudicium. Quibus ingenii dotibus a benigna natura iamiam acceptis, auctis sane atque

E

exultis



exultis institutione philosophica summe venerabilis TÖLLNERI, viri de nostra academia, immo, ut omnibus notum, de orbe litterato meritissimi, instructus, quem iuris scientiae operam nauris Tuam, non potuisti non magnos etiam profectus in eadem consequi. De quibus luculenter testatur, quod edis specimen, proprio prorsus Marte elaboratum, quo Tuum ex hac academia discessum, more maiorum non satis laudando, celebriorem esse iubes, et a quo neque Te festinationem, ut ego scio, urgentissimam, excusare posse credidi. Redeas igitur fausto omne in patriam, reddus Te amplexibus parentis perillustris, qui filium tam bene virtutibus et doctrina ornatum, quemque semper in deliciis habuit, avide iam exspectat. Ego Tibi quaevis secunda adprecor. Bene si vale rei publicae, splendidae Tuæ familie, Tibi et amicis Tuis, quibus ut me semper adscribas, obnixe Te rogo. Dab. Trai. ad Viadr. die 14. Novembr.

MDCCCLXXIII.

disquisitos institutus impetuosa tempore mortis, mercede und so
tempore, quando mundus vellet via ihu regni, mercede imperante
domino militiam cursum patitur, et auctoritate illata in ihu
regni munere, obsequio, et auxilio, mercede enim ihu, et
ad ihu regni uolumen, mercede, et auxilio ihu, mercede ihu, et
impio undi alio, mercede, et auxilio ihu, mercede ihu, et
vilem

a

PRAENOBILISSIMO RESPONDENTI
HVIVSQUE LIBELLI
AVCTORI
AMICO SVO DILECTISSIMO
S. P. D.
JOHANNES FRIEDERICVS GEISLER.
OPPONENS.

Quod, quem ab ephebis insignis Tuae affiduitatis, qua Musarum castra secutus es, testem, quem aetate adultiori comitem iterum in sacratissimae Themidos palaestra habuisti, eum quoque egregii eruditio[n]is Tuae speciminis, laudisque exinde in Te redundaturae testim effe volueris, vehementer valde que laetor, gratisque Tibi dico maximas, quas pesum. Verum enim vero, quam publice defendendam suscepisti dissertationem, sp[ecie]m abunde superat, licet maxima fuerit, omnem, Teque fauissimis PERILLUSTRIS MADIHN[us] auspiciis, nomen, omnibus solidioris iurisscientiae cultoribus sacrum, mitique ob singularia in me collata beneficia fons diffimum! felicissimar animi Tui dotes pereximie coluisse, probationem, omni exceptione, omni dubio, sifit meorem. Ne vero, Amicissime, adulatoris munere fungi videar, omnibus desisto laudibus. Potius Tibi ex animo eruditio[n]em Tuam gratulor, gratulor Parentibus, Patriae gratulor. Quem attingere iuri R[oman]i apices tam felici didicisse constat successu, quocunque in republica munus bene administraturum satis facile praevider. Quod si igitur Dilectissime in optimam, quosque Tuos conatus conversurum si numen T. O. M. pariem, hocce persuadeas Tibi velin acceptissimum fore gratissimumque mihi. Interim vale Tuaque me nunquam indignum habeas amicitia. Dab. Francofurti ad Viadrum. V. id. Nov. 1510 CCLXXXIII.



PRAENOBILISSIMO DISSERTATIONIS AVCTORI.

S. D.

GEORG. DAVID. FRID. DAMES. POMER.

OPPONENS ORDINARIVS.

*O*mni, qua par est, laetitia, munus suscipio, quod ex Tua erga me amicitia benevole in me collocaſti, cum hac occasio-
ne, et Tuam in elegantiori iurisprudentia praecipuam cogni-
tionem admirandi et publice amicum Tuum me profitendi fa-
cultas mihi detur. Consuetam laudum enarrationem facile
omitti hic posse credo, cum has iam loquitur praestantissi-
mum Tuum de vera indole agrorum vestigium specimen,
quaeque iam omnibus etiam patent. Id potius, carissime
RIENDIGERE abs Te peto, ut amicitia Tua in posterum me am-
plicet mihique favere pergas. Ita vale. Scrib. Francofur-
ti ad Viadrum, d. XV. Nov. MDCCCLXXIII.

ULB Halle
004 393 171

3



f TA → D
nu 1+10 Stück verknüpft

Farbkarte #13



24

1773, 2
~~Pragmatisches Gesetz~~
19
DISSERTATIO IVRIDICA

DE
**VERA INDOLE AGRORVM
VECTIGALIVM**

SECUNDVM
IVRIS ROMANI DOCTRINAM

QVAM

PRAESIDE
VIRO CONSULTISSIMO

GEORG. SAM. MADIHN

IVRIVM PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO
ACADEMIAE REGIAE VIADRINAЕ

PRAECEPTORE SVO OMNI OBSERVANTIA COLENDO
DIE XXV. NOVEMB. A. MDCCCLXXIII


IN AUDITORIO IVRIDICO

PUBLICO ERUDITORVM EXAMINI SUBMITTIT

AVCTOR RESPONSVRS

**GEORG. FRID. CHRISTOPH.
RIEDIGER**

BEROLINAS.



TYPIS FRIDERICI WILHELMI BIRNSTIELLI.
REG. PRIVIL. TYPOGR. BEROL.